

10



o



§. 8.

Indoles vitri  
comparate  
ad electrici-  
tatem,

Ut fortissima succussio ope Lage-  
næ Batavicæ excitata melius intel-  
ligatur; notandum *imo* materiam ele-  
ctricam non posse ex altera vitri su-  
perficie transire ad alteram per me-  
diam vitri crassitudinem (intellige  
cum P. BOSCHOWICH ex §. 5. nisi  
ope frictionis excitetur in vitro tre-  
mor & oscillatio motusque intesti-  
nus particularum electricarum, quo  
particulas aliquas ad arcus repellen-  
tes satis validos delatas ejici expe-  
rientia manifestum esse videtur. *2do*  
Non posse fluidum electricum augeri  
in ipso vitro, utpote quod sit defi-  
nitæ quantitatis tenacissimum. *3tio*  
Possse tamen tantum materiæ electri-  
cæ ex una superficie abire, quantum  
ex altera accesserit\*.

Varia excogitarunt phyci, ut ra-  
tionem redderent, cur vitrum materiam  
electricam non transmittat: FRANKLIN  
phœnomenon istud refundit in densitatem  
vitri, quam circa medium majorem esse  
con-

---

\* Vid. P. BOSCHOWICH S. J. loc. cit.